ex me natos esse, quibus hoc sperare sinit ordo rerum
et annorum ratio. Cum his te rogo, et si pateris, jubeo
vivere te aliquando velis, ut mecum ab infantiâ qui
dem meâ, vivere hactenus dignatur, quem dixit
excellentissimum mortalium pater tuus. facturi
enim paria sunt, si me audiant, atque amoris heredita
rii cultu te tuosque amplexuri. Vale Juvenis bene
nate, et Parenti, tertium hic nominando, quo nun
quam satior, salutem dicito ab

14°. Febr: 1639.

Amantissimo Tui
C. Hugenio.

Johanni Beve=rovicio.

Vir Amplissime ac doctissime (271)

Ad epistolae tuae capita ne sigillatim et πρὸς πόδα respon
deam, interesse tuâ, ut meâ sentio. Mutui enim doloris
nostri argumenta, unde ordiris, quo meo commodo recenseam
aut quo tuo, qui quo silentio Christianos aequum sit perferre
haec talia, atque ut à ne Christianis quidem verbo defini
tum fuit, Deum sequi, sic docere omnes possis, ut a nemine
doceri ~~possis~~. Obiter tamen monendus es, (ex Heinsij enim
versibus quid collegeris, nondum capio) non idem ut ais
fatum unquam mihi contigisse quod tibi, sed atrociori,
ut judicabis vulnere percussum, cum tua de surculo
querimonia sit, toto trunco orbatum fuisse Uxore scilicet,
et thesauri mei quinque liberorum tali matre, ut si ob
oculos versata fuisset, auspicanti illustre, quod polliceris
opus de excellentiâ sexûs illius, nullius non paginae
argumento dignam censuisses. Sed haec obiter ut dicebam,
neque ullo modo ad te spectantia, ingesta sunt. Quod
superest Scriptum illud tuum politissimi Boij nostri
Epigrammatis interpolandum scito vel hebraice a me
expectari; expectando satis utique experto et gnaro,
quam versatili, atque ut sic dicam, omnis materiae potenti
stylo non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
valeas, qui, ut carmine quod vides, partim expressi, jucun
dum fere calculum tractando fecisti, et mellitam Aloen.
Propera igitur, si ~~me~~ nos amas, extradere bonam mercem,
et vino utcunque per se vendibili, appendere pro
hederâ tuam Laurum, quâ saeculi ut nunc sunt
fulmina, non dubie elusurum pronuncio. Vale
Vir

Vir eximie, et percurrisse contentus illepidum Epigramma quod expressisses mihi occupatissimo fateor et amorem tui et Boij nativam humanitatem, tenebris damnato potius quam ut hoc fumo lectorum oculos inde a limine offendi patiaris ad fulgorem operis tui avidè comparatos. Scribebam Hagæ Com: VII. Id: Febr: CIƆIƆCXXXIX.

Tuus.

Si quod rarissimè contingere tibi scio vacare aliquando lectioni posses bis mille versiculorum operis vernaculi ingratiam olim et rogatu ejus quam nominavi, insituti, obituque intempestivo abrupti, neque hactenus domo egressi aut cuiquam visi, facerem legendi copiam; modo perferendi tutò et securè offerretur tuta et secura. At enim interpellari te iniquum est his insaniis.

(272).

Vincentio Fabritio.

×

Quâ fronte me Fabrici praestantissime, respondere tibi tam serò censes, tam doctè, tam amicè compellanti? quâ nimirum literatissimis quibusque et humanissimis amicorum soleo, qui quotidie me literis ~~libellisque~~ librisque et ejusmodi muneribus adeuntes, adeo turbulentæ sortis meæ gnari sunt, ut quam longissimis rescribenti intervallis, prorsus succensere ~~defuerint~~ desueverint. Ergo qui indoctissimus pridem nobis es, inter humanissimos censeri patere, et hæc toto post trimestri reponentem admitte animo non exulcerato. Testor enim communes Musas, quarum propitio numini quanto plus quotidiè debeas Poematum tuorum altera hæc editio, illustre documentum est, charum mihi ~~et~~ et pretiosum esse amicitiæ tuæ pignus, neque commissurum ut in spreti vel neglecti suspicionem veniam, sicubi rerum tuarum ratio exiget, ut ope, vel officiis meis augeri vel ornari debeant. Hactenus enim in commercio verborum sumus, quæ ut ab aula fuco non videantur aliena, affectu tamen et effectu firmabuntur, quoties tu voles, ego potero, qui te valere jubeo Vir Doctissime

amantissimo tui

9. Mart: 1639.

C. H.

Barlæo.

(273).

Amplissime Barlæe.

Inter amicitiæ, quâ me dignaris commoda est, quod et loquentem pari semper studio et affectu admittis, et silenti non succenses, egregiâ utrimque ~~calami~~ humanitate,

et rebus